



Legentibus, arbitramur. Prima est, quam primo loco attulimus; scilicet, quia Judæi rudes, qui syriace loquebantur, hebraicum sermonem purum non intelligebant. Secunda, quam ex Cornelio a Lapide reportavimus; quia etsi Judæi verba illa intellexissent, ut Christo tamen improprium facerent, non intelligere fingebant, & ad alterum sensum tergiversabant. Tertia demum est, quam a Natali ab Alexandro nuper mutuati sumus: quia etsi Christus syriace loquutus fuerit, ut Cornelius a Lapide credidit, *Hinc Christus pro hebræo azabatani, syriace more gentis suæ dixit, Sabactani. Syra moderna habet, elmonosbactoni. Unde liquet temporum successu nonnihil variatam esse linguam syriacam, uti variata est lingua italica, gallica, germanica, & aliæ*; Attamen Hebræi, qui in Græcia habitabant, Hebræi scilicet Helenistæ, nec hebraicam, nec syriacam, linguam callebant; & tamen Eliam sciebant. Unde istos, non Gentiles, verba illa protulisse, *Eliam vocat iste*, Alexander verosimilius putavit, & nos cum ipso adfirmamus.

At demus, quod verba illa protulerint milites, qui Gentiles erant, quis sanæ mentis homo legitime inferet, milites illos, qui Gentiles erant, Brutios quoque fuisse? Quia fortassis in Judæam cum Pilato advennerant, qui, vel inter Brutios natus fuerat, vel Brutios gubernaverat? Pilatum, nec nativitate, nec origine, Brutium fuisse, Scriptorum fere omnium est sententia; si unum aut alterum demas, qui, a nominum similitudine decepti, oscitanter errarunt. Plurimi natum Ponti in Cappadocia, vel in Bithinia, Pilatum asserunt; ac proinde Pontium fuisse dictum. Alii Pontium fuisse nomen dicunt, cognomen vero Pilarum, eunque Romæ natum volunt. Alii denique, inter quos